

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Chronicon Skibyense

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 138. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415584778000.pdf> (tilgået 25. april 2024)

Anvendt udgave: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*

Hanc prudentissimam simul ac iustissimam <tergiuersationem> sic ultus est in totum capitulum Roschildense. Occasione <namque> et pretextu defensionis cleri aduersus uiolentiam nobilium prophanorum, ui occupauit ius tocius cleri perpetuo possessum, accepta ab inquilinis eiusdem perpetua subiectionis obligatione, quo exemptos a iure priorum dominorum semper haberet sibi obnoxios. Verum huius iuris occupatio (qua uisus <est> primo conatu tantum a singulis singulorum inquilinis vnam hauene tunnam quesisse) prestitit eidem magnam questus materiam, quod postea, rebus semper in deterius uergentibus, manifestis argumentis compertum est. Nec potuit ab hac inuasionem ullis rationibus reuocari. Pulsatus primum instantissimis precibus, obtestatus deinde de fide iurisiurandi palam prestiti, ac sigillo et propria manu signati, sollicitatus demum consiliis et hortatibus cognatorum et amicorum ac precipue fratris Eieri Rønnow, Domini Tuchonis Crabbe, et 139 D. Ioannis Wrnæ, <vt ceptis desisteret,< adeo | ad hec omnia obstupuit, ut factus ipsa impudentia impudentior, et ipsa insania insanior, omnino perduraret in sua sententia, nec unquam clerus tantam pertulit tyrannidem ab ullo prophano principe, quantam ab hoc personato et heretico pontifice. Huius tam uiolente tyrannidis caussa, erat regni Dani interregnum in hoc etiam studio quorundam potentium prorogatum, ut nullo rege iusto ultore existente, liberam exercerent impij tyrannidem. Quam ob caussam prestitisset iamdudum in Dania esse hereditatem non electionem, quando uidemus hereditatis regna semper esse florentissima, electionis uero miserrima et inflicissima, multorumque prede et tyrannidi semper exposita.